



DEO DUCE!

Nefeliciter planè in *Physicis* occupabitur, qui elementa corporum naturalium eorumque naturam non satis exactè perspectam habuerit. Sicut enim parum intelliget de vocibus, qui prima vocū elementa non habuerit probè cognita; ita parū sibi de naturalium rerū cognitione promittere poterit, qui elementa earū, utpote reliquarum principia solidè non cognoverit, Nec ullibi quam circa hæc periculosius quis erraverit: error enim qui circa principia committitur, in iis, quæ ex principiis constant, aut deducuntur, cognoscendis, infinitorum penè errorum causa solet existere; *principium quippe plus quam dimidium totius est l.2. Soph. c. ult. lib.1. Eth.c.7. lib.5. Polit.c.4. Et, si unum hic detur absurdum, plurima inde promanare necessum est, l.1. Phys.c.2.* Ideoque non abs re facturi sumus, si ad meliorem pleniorque cognitionem *Physicam*, in naturam elementorum corporum naturalium, Aristotelis vestigia secuti, paulò diligentius hac vice inquisiverimus.

§. 1. Elementi vocem explicare non est hujus loci, *Metaphysici* hoc est muneris, & ab Aristotele *ἐν τοῖς πολλαχῶς λεγομένοις lib. 4. (5) Metaph. c.3.* factum. Elementum hoc in loco dicitur, ex quo primo inexistente aliquid componitur, & in quod ultimò resolvitur, ipsum verò in alia specie diversa dividi non potest; ita vocum elementa dicuntur vocales